



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De his qui promouentur ad episcopatum, nec recipiuntur. xli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*De his qui promouentur ad episcopatum.
nec recipiuntur. Cap. XLI.*

Ex cōcil. Antio- che. cap. 18. **S**I quis episcopus ordinatus, ad parochiam minimè, cui est electus, accesserit, non suo vitio, sed quòd eum aut populus vetet, aut propter aliam causam, non tamen eius vitio perpetrata: Hic & honoris sit & ministerij participes, dummodo nihil molestus Ecclesiæ rebus existat, vbi ministrare cognoscitur. Quem etiam obseruare cōueniet, quicquid synodus perfecta, prouinciae iudicando decreuerit.

Quòd autoritas congregandarum synodorum apostolicae sedi commissa sit priuata potestate. Cap. XLII.

Cap. Isidori. 8. **S**YNODORUM verò congregandarum autoritas apostolicæ sedi, priuata commissa est potestate. Nec vllā synodum generalem ratam esse legimus, quæ eius non fuerit autoritate congregata vel fulta. Hæc canonica testatur autoritas, hæc historia ecclesiastica roborat, hæc sancti patres confirmant.

Quòd bini conuentus episcopales singulis annis fieri debeant. Cap. XLIII.

Ex decret. Leonis papæ ad Rusticum Episcopum Narbonen. cap. 37. **D**E conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus, quàm sancti patres salubriter ordinauerunt, vt scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos Ecclesiæ ordines nasci assolēt, iudicetur. Ac si fortè inter ipsos qui præfunt de maioribus, quod absit, peccatis causa nascatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negocii qualitate metropolitanus curabit instruere: vt si coram positis partibus, nec tuo fuerit resopita iudicio, ad nostram cognitionem quicquid illud est, transferatur.

De synodis quo tempore sint habendæ. Cap. XLIIII.

Ex cōcil. Antio- che. cap. 20. **P**ROPTER utilitates ecclesiasticas & absolutiones earum rerum, quæ dubitationem controuersiamque recipiunt, optimè placuit, vt per singulas quasque prouincias bis in anno episcoporum concilia celebrentur. Semel quidem post tertiam septimanam festi Paschalis, ita vt in quarta septimana quæ consequitur, id est, medio Pentecostes cōueniat synodus, metropolitano comprovinciales episco-